MARCUS POLUS. IOHANNES PRESBYTER. LUDOLPHUS DE SUDHEIM
15. Jh. Seite 66r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=32474
Copyright: Schlierbach, Zisterzienserkloster

tur inspectione hominis facie iracunda et terribili
quoniam pisces perterrit et fugatur. Sed tamen multum est homini ca-
uendum dum eum sic inspiciat quod non timeat
piscem sed ipsum horribiliter inspiciat et audacter.
Nam dum piscis hominem videt timentem non re-
cedit sed nauigium mordet et dilacerat mqm pt
Sed cum homo piscem audacter et horribiliter in-
spicit facie iracunda extunc piscis perterritus
relicto nauigio recedit. Audiui a valde nota-
bili nauta quod dum esset iuuenis cum paruo naui-
gio in cursum piscis predicti incidisset et quidam iu-
uenis stans erat in nauigio qui se virtuosum fero-
cem reputabat et audacem et obuiantem pisci pre
audacia quam habere putabat sibi panem dare
noluit. Sed cum fune de nauicula usque ad aquam
inspiciendum piscem facie iracunda ut est moris
se dimisit et statim viso pisce timore perterritus
quod ipsum cum fune retraherent sociis protinus exocla-
mauit. Et piscis viso hominis timore dum
retrahebatur saltans ex aqua usque ad ventrem
uno morsu amputauit et nauiculam relinquens
abcessit. Dicitur etiam quod idem piscis non sit ad
iactum lapidis longus nec tamen sit grossus. Sed
caput eius sit maximum et grossum. Et omnia dap-
na que nauigiis infert facit mordendo et dilacerando